11,100

Em.mi ac R.mi Principes

A?

1725

Libentissime ad hanc Almam Urbem personaliter accederem, obligationi visitandi Sacra limina Apostolorum satisfacturus, si fructus huius Episcopatus, sumptus, qui necessarii sunt ad iter perficiendum, suppeterent; at ita tenui sunt, ut computatione facta per quinque annos continuos ab Administratoribus Quartadecimæ, Subsidii, et excusati quotannis, ex concessione huius S.tæ Sedis, Regi solvendarum, annuatim non excedant summam scutorum novecentum monetæ Romanæ, ex quibus annuatim solvitur pro dicta quartadecima, subsidio, et excusato portio correspondens secundum taxam, Prædicator Quadragessimæ, et nonnulla alia. Hoc ipsum motivum, cum aliis, impedivit posse mittere Personatum Capituli, aut Ecclesiasticum huius Cathredalis Ecclesiæ, quæ unica est Clericorum Secularium in hac Civitate Saccensi; Quapropter enixe Rogo Eminentias Vestras me excusatum habere non dedignentur, et honorare gratia acceptandi Procuratorem á me designatum, qui est Procurator Generalis mei Ordinis Minimorum R.mus P. Franciscus Zavarroni, vel R.dus Lucas Bergua Sacerdos Diœcesanus in hac Curia præsens, qui meo nomine Sacra limina Apostolorum devoté visitabunt, cæteraque de Jure, et more peraganda peragent.

Huius gratiæ ac permissionis spe devenio per has literas ad dandæ sedi, et Emin.tiis V.ris reddendum rationem mihi commissi Officii, ac Ministerii.

Huic me accinxi die 21 Novembris anni 1721.+ Die Natalis Domini, feria V. in Cena Domini, et aliis solemnioribus festivitatibus Missam Pontificalem singulis annis celebravi, et in eis Concionem ad Populum habui. Similiter ~~Benedictiones Cinerum~~ Cineres, Candelas, et Ramos solemniter benedixi, semper cum Concione ad Populum. Ordines Statutis Ecclesiæ temporibus celebravi. Sacramentum Confirmationis solemniter, et privatim, quoties opus fuit, administravi.✱

+ meæ ætatis quinquagessimi tertii.

Anno 1722 mense Maij Synodum convocavi, et in ea primum Sermonem ad clerum prædicavi, omniaque quieté, ac pacificé ad majorem Dei gloriam et animarum salutem completa fuerunt.

Anno 1723 Visitaturus Ecclesiam Cathredalem non inveni Canonicos paratos se subjicere Visitationi, nitebantur enim quibusdam assertis Privilegiis, et possessioni ab anno 1593. ex quo dicta Cathredalis visitata non fuerat; at Deo adiuvante, sine strepitu, et rumore, cum urbanitate Visitationi acquiaverunt, et Visitationem tum localem, tum realem, pariterque personalem feci.

✱ Quia in Cathredali, quæ est unica Parrochia huius Civitatis, nulla habebatur Doctrinæ Christianæ explicatio, eam introduxi tempore Adventus et Quadragessimæ. Per duas Quadragessimas et unum Adventum per meipsum Dialogum ad Populum habui et principales Fidei articulos explicavi. Postea Substitui Doctorem Joannem Joseph Bergozza